

eus non peccaret ipsum omittendo. Prob. minor. Qui per Sacramentum obtinuit remissionem peccatorum et iustus est, si tamen aliquis peccati oblitus est et postea recordatur, tenetur illud directe subiicere clavibus per confessionem, ideoque et de illo conteri, confessio enim sacramentalis est confessio dolorosa. Ergo etiam existenti in gratia necessaria est contritio.

3) Quamvis non omne necessarium ad salutem sit in pracepto, ut gratia Dei, tamen omnis actus virtutis necessarius ad salutem cadit sub pracepto; neque enim potiore argumento probant Theologi actum virtutis esse praecipuum, nisi quia est necessarius ad salutem; atque talis est actus poenitentiae: ergo.

4) Est speciale praecipuum de reparanda iniuria cuicunque illata: ergo multo magis de reparanda iniuria Deo illata; hoc autem fit per poenitentiam: ergo.

Patet poenitentiam, quae his argumentis demonstratur, esse poenitentiam formalem, sive ipsam explicitam detestationem peccati.

Itaque ad primum argumentum contrarium satis responsum est per primum, et per sequentia, quae probant praecipuum esse. Ad secundum dicendum quod licet directe non sit praecipuum de gratia habenda et conservanda, est tamen indirecte; quia directe est praecipuum de mediis.

Ad auctoritatem S. Thomae advertendum quod, cum hoc praecipuum sit affirmativum, non obligat omni tempore: ideoque cum non occurrit tempus praecippi, *non poenitere* est circumstantia actus, non novum peccatum. Ceterum ipse s. Doctor ponit praecipuum speciale poenitentiae: iam enim vidimus ipsum statuere poenitentiam virtutem specialem; quia datur de ea speciale praecipuum.

Cetera ad notionem virtutis poenitentiae spectantia dabuntur, cum de actibus poenitentis in Sacramento agendum erit: hactenus enim tradita pro quadam introductione satis esse queunt.

PARS II.

DE POENITENTIA SACRAMENTO

CAPUT I.

DE POTESTATE A CHRISTO FACTA REMITTENDI FIDELIBUS PECCATA.

THESIS VIII.

*Analysi instituta verborum Christi Matth. XVI, 19; XVIII, 18;
Ioan. XX, 23, adhibita quoque interpretatione Patrum, constat Christo auctore Ecclesiae factam esse perpetuam potestatem remittendi fidelibus quaelibet peccata.*

I. Haec sunt verba Matth. XVI, 19. Quodcumque (Petre) ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis. Ibid. c. XVIII. 18. Amen dico vobis (Apostoli), quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.

Phrasis huiusmodi complexa: *quaecumque ligaveris, quaecumque solveris*, non occurrit nisi bis in universa Scriptura, h. e. in locis citatis. *Ligatio* et *solutio*, de qua sermo est in iis verbis Christi, spectat certe ad ordinem moralem proprium entis liberi. Triplex autem est vinculum quo ens liberum ligari et a quo solvi moraliter potest, *vinculum legis, vinculum culpe, vinculum poenae*. Et quidem vinculo legis et poenae ligari potest directe ab alio; vinculo vero culpe ipsum se solum directe obstringere potest; indirecte et ab alio potest ligari quatenus ei solutio vinculi negetur. Unde et quoad triplex vinculum potest ab alio solvi. Potestas igitur ligandi et solvendi est potestas vinculum morale imponendi aut relaxandi. Quanta sit vis horum verborum Christi explicavimus in Tractatu de Rom. Pontifice: quocirca modo satis erit conclusionem referre. Scilicet potestas collata Petro ligandi et solvendi est potestas plena et universalis quoad omnes personas et quoad omnia negotia seu cau-

sas Ecclesiae, est potestas ferendi leges, praecipiendi, prohibendi, iudicandi, poenas statuendi, easdemque infligendi, tum leges abolendi, dispensandi, condonandi delicta, et poenas. Sane his omnibus vel aliquod vinculum morale imponitur, vel relaxatur. Haec vero est potestas regia complectens omnia iura necessaria regendae administrandaeque reipublicae. Cuius potestatis participatio secundum proportionem facta est quoque ceteris Apostolis.

Itaque quod aliqua potestas collata Petro per verba Christi significetur nemo est qui dubitet, et quidem est potestas ea amplissima, quam descripsimus; quod quidem suo loco, ut diximus, multipliciter probatur.

Porro quid ex hoc colligimus? Nimurum potestas remittendi peccata est quaedam potestas solvendi, et potestas retinendi peccata est quaedam potestas ligandi; quocirca si constet factam esse Ecclesiae potestatem remittendi et retinendi peccata, ea spectare dicenda est ad potestatem propriam Ecclesiae, ideoque contineri hac potestate ligandi et solvendi (Matth. XIX.) quae comprehendit potestatem omnem, quae ex institutione Dei in Ecclesia esse debet.

Utrum vero potestas remittendi et retinendi peccata facta sit Ecclesiae, si Scripturas consulamus, nosse potissimum licet ex testimonio Ioannis XX, 22. seqq. Advertatur tamen quod modo solliciti tantum sumus de potestate remittendi, quamvis in decursu demonstrationis provocare oportebit identidem ad potestatem quoque retinendi, sed semper in hunc scopum ut potestas remittendi et declaretur et defendatur.

II. Verba Ioan. XX, 21 seqq. haec sunt: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos: haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

Peccatum חטא, מטה in Scripturis tum est et frequentissime culpa coram Deo, tum poena peccati, tum etiam sacrificium pro peccato. Quoniam in nostro loco occurrit dictio *remittere peccata*, excluditur significatio sacrificii. Restat ergo ut intelligatur vel remissio culpe, vel solius poenae. Remissio poenae debitae peccato intelligi solet 2. Maccab. X, 46. Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur. Porro affirmamus in verbis Christi penes Ioannem intelligendam esse remissionem culpe coram Deo, atque adeo illius poenae quae, remissa culpa, deberi amplius nequit. An etiam praeterea remissio solius poenae temporalis intelligenda sit, disputabimus cum de Indulgentiis loquemur. Verborum Christi analysism instituentes demonstrabimus 1. potestatem collatam Apostolis, quae dicitur esse potestas remittendi, versari immediate circa culpas coram Deo: 2. esse potestatem veram

remittendi non tantum declarandi remissionem: 3. esse aliam a potestate baptizandi: 4. versari circa omnia peccata.

Haec vero cuncta sequentibus animadversionibus fient manifesta. Et 1. quidem ipsa Christi verba et actio, quae a Ioanne describuntur, portendunt aliquid magnum ac prorsus divinum conferri Apostolis. Christus exorditur: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Comparatio quaedam instituitur inter missionem Christi et Apostolorum; nam per particulam *sicut* similitudo aliqua significatur. Porro qui mittitur, ad aliquod opus peragendum mittitur, collata eiusdem potestate: verbum autem *mittere* sollempne est apud hebraeos pro significanda collatione potestatis, quae a mittente fiat misso. Ut vero intelligatur in quo sita sit similitudo heic significata inter missionem Apostolorum et Christi, advertendum est Christum heic alloqui illos, quos iam novimus socios suos suosque cooperatores, operisque a se instituti propagatores electos atque hac missione, qua nunc eos mittit, auctoritatem eis et potestatem aliquam conferre ad hoc ipsum ministerium, ad quod electi sunt. Sensus ergo verborum Christi est: quemadmodum Pater communicavit mihi potestatem ad opus, quod dedit mihi ut facerem, ita ego pariter communico vobis potestatem *ad idem opus* promovendum et propagandum. Ad idem opus, inquam. Nam missio ipsa infert collationem potestatis ad aliquod opus: dignitas vero cooperatorum Christi exigit ut hoc opus sit aliquod, ad quod principaliter missus est Christus. Post ea verba, sub sensibili symbolo (insufflationis) Christus impertitur Apostolis Spiritum S. et per Spiritum S. potestatem remittendi peccata. Haec vero sollemnitas, qua potestas remittendi peccata confertur, ut praemittatur comparatio missionis Apostolorum cum missione Christi, tum sub sensibili signo detur Spiritus S. nihil, quod non sit magnum, exspectare permittunt. Quid autem huiusmodi erit? Nisi demonstres repugnare ut hominibus auctis dono Spiritus S. competit potestas delegata a Deo remittendi ipsas culpas coram Deo, hic erit obvius sensus, qui sponte prodibit ex verbis conferentibus potestatem remittendi peccata.

Et sane 2. certum est verba haec: *quorum remiseritis peccata posse hanc induere significationem ut significant remissionem culpe coram Deo:* iam vero si id possunt significare, advertimus hanc significationem flagitari ab indole Testimenti novi, cuius ministri sunt Apostoli. Proprium est enim Testimenti novi gratiam interiorem conferre et dimittere peccata seu culpas (Ierem. XXXI, 33. coll. ad Hebr. X, 16. 17); atque hoc spectat omnis oeconomia novae Legis. Sicut ergo sacramenta novae legis, eo quod sunt novae legis, sanctitatem conferunt interiorum, secus ac Sacra menta veteris

legis, quae prout talia solam conferebant sanctitatem legalem: ita remissio peccati, quae in nova lege est facienda, est remissio, quae conscientiam attingit, h. e. remissio culpae.

3. Et re quidem vera haec potestas remittendi, quae circa peccata versatur, vel attingit immediate ipsam culpam, vel solum poenam, vel utramque. Iam vero si dicatur attingere tantum poenam, vel est remissio poenae aeternae, vel poenae temporalis. At qui nequit esse remissio solius poenae aeternae, praecisione facta a remissione culpae; quiae haec remitti nequit sine culpae remissione, et remissa culpa, potestas alia illam poenam remittendi est inutilis: culpa ergo et ipsa remittitur cum aeterna poena remittitur. Nec diccas culpam remitti a Deo, poenam aeternam ab Apostolis; nam eo ipso quod remittitur culpa, poena quoque aeterna remittitur; nullus ergo locus esset alteri remissioni poenae, quae fieret ab Apostolis. Non potest autem remissio, de qua heic sermo est, esse remissio solius poenae temporalis: nam, ut patet ex verbis Christi, id quod remittitur ab Apostolis, potest ab iisdem retineri, atque ita retineri, ut ipsis retinentibus, a Deo sempiterne retineatur, ut declarabimus Thes. X. Atqui poena sola temporalis nequit a Deo in perpetuum retineri: ergo non ea est sola, cuius remittendae potestatem accepit Apostoli. Ex quo liquet neque posse esse sermonem solum de aliqua poena, quae ab ipsa Ecclesia infligatur. Igitur remissio, de qua Christus loquitur, est remissio immediata culpae, et proinde etiam illius poenae quae, illa deleta, manere haud potest.

4. Iam vero *remittere peccata* non est *declarare peccata esse remissa*. Nam a) haec interpretatio repugnat vi propriae verborum, et non satis cohaeret cum similitudine inter missionem Apostolorum et Christi, nec cum inde Testamenti novi, ut iam diximus. b) Praeterea si contendis *remittere peccata* tantumdem valere ac *declarare peccata esse remissa*: ut ita enarras priora verba Christi, *quorum declaraveritis peccata esse remissa*, licebit ergo et sequentia pariter enarrare: *declarantur eis remissa*. Cur enim contendes in his verbis sensum proprium esse retinendum? an quia heic sermo est de remissione, quae fit a Deo, qui profecto non solum declarat sed remittit vere peccata? At nisi prius demonstraveris fieri non posse ut homo potestate accepta a Deo remittat peccata, cur non et in prioribus verbis poterit remissio proprio sensu accipi, ut, licet sit ex potestate delegata (quod ex contextu ipso liquet), sit tamen vera remissio peccati? Sed demus sensum postremorum verborum esse proprium: sententia ergo Christi haec esset: *quorum vos declaraveritis peccata esse remissa, remittuntur eis a Deo*. Itaque Apostolis sola potestas confertur declarandi peccata coram Deo esse remissa. Atqui 1. potestas sola declarandi, quoniam

declaratio supponit id iam esse quod declarat, est aliquid per se consequens remissionem peccati: Christus vero e contrario heic prius posuit declarationem et postea remissionem: non enim dixit *remissa fuerunt*, sed *remittuntur*, ut satis sit evidens ex ipsis verbis nexus consecutionis inter actum Apostolorum et remissionem, quae fiat a Deo: Christus ergo in hac hypothesi esset satis inordinate locutus. 2. Declaratio haec ab Apostolis facienda estne cum certitudine iuncta, an cum aliqua tantum plus minus probabilitate? Si hoc alterum, quid prodest? nonne ipsi poenitentes id ex suis actibus probabiliter et quidem melius quam alter, coniectare possunt? Si primum: dicatur nobis unde hanc certitudinem huius operis solius Dei in anima alterius hominis Apostoli haurire possint: an promissa est quoque in his verbis Christi revelatio Apostolis huius facti?

Igitur interpretatio haec verborum Christi: *quorum remiseritis peccata*, ut his aequivaleant: *quorum declaraveritis remissa esse peccata*, et caret omni fundamento et Christum inducit inordinate loquentem ac instituentem potestatem, cuius nullus usus esse potest.

Itaque advertatur nexus, qui intercedit inter exercitium potestatis factae Apostolis, et actum Dei remittentis peccata. Est enim 1. *nexus immediatus*, nam immediate haec coniunguntur, *remiseritis, remittuntur*. Est 2. *nexus saltem conditionis necessariae*; huc enim redeunt verba Christi simul sumpta, si *remiseritis, remissa sunt, si retinueritis, retenta sunt*. Est 3. *nexus causalitatis*: nam actus, qui ex parte Apostolorum requiritur, appellatur *remissio*: Apostoli enim dicuntur remittere: atqui talis actus qui est eorum, qui remittunt, et idcirco *remissio activa*, est causa passivae remissionis; nam 1. nullo alio magis proprio nomine appellari potest actus, qui sit causa remissionis: imo 2. is solus actus, qui est causa remissionis, potest simpliciter appellari remissio; sive aliis verbis, ii soli possunt dici remittere peccata, quorum actus est causa efficiens remissionis. Ergo non potestas sola declarandi, sed potestas vere remittendi peccata facta est Apostolis a Christo.

Quod si quaestio fiat quomodo actus Apostolorum sit causa efficiens remissionis peccati, non opus est ut in specie hic modus determinetur, sed satis est quod eo modo concipiatur ille actus causa remissionis, quo sacramenta sunt causa gratiae; probabimus enim hoc esse Sacramentum.

Probatum est ergo in verbis Christi sermonem esse de peccatis proprie dictis, h. e. de culpis coram Deo, et de vera remissione eorum facienda ab Apostolis.

His positis 5. dicimus quod haec potestas est alia a potestate baptizandi, qua remittuntur quoque peccata. Sane advertatur a) *PALMIERI. Tractatus de Poenitentia.*

terminos hos tres: *quorum, peccata, remiseritis* indefinite patere, eosque verisicari, licet eorundem hominum plures peccata remittant Apostoli: quoties autem verificantur, verum quoque esse debere quod ait Christus: *remittuntur eis*; quia ut ponatur conditionatum, sufficit quod vera sit conditio: secus propositio esset falsa. Haec autem est una eademque potestas expressa verbo *remiseritis*, potestas scilicet remittendi peccata. Ergo haec est potestas diversa a potestate baptizandi et remittendi peccata per baptismum; quia haec una tantum vice erga eundem exerceri potest: neque enim quis potest bis renasci. b) Potestas conferendi baptismum est potestas regenerandi; est enim baptismus sacramentum regenerationis, eaque exercetur ablutione et invocatione Trinitatis: haec vero potestas collata Apostolis est simpliciter potestas remittendi peccata, quod per se non est regenerare, eiusque proprius et immediatus actus est remissio vel retentio peccati, sive ipsa exercetur solo actu, quo remittitur vel retinetur peccatum; nam alterius rei Christus non meminit. Aliud est autem administrare ritum, quo ex institutione Dei efficiatur remissio peccatorum, cuiusmodi ritus est baptismus, aliud est immediate remittere peccatum ex auctoritate, quae sicut remittere ita et retinere potest peccata. Sicut aliud est liberare aliquem a debito aut suppeditata ei pecunia necessaria, aut condonato debito a creditore, aliud auctoritate iudicis solvere ab obligatione. In exercitio potestatis huius unicus ritus est remissio peccati ex auctoritate accepta a Deo, quae immediate fertur in hoc ut peccatum remittat, ita ut Apostoli sint qui remittant. Igitur haec est alia potestas a potestate baptizandi: et idcirco etiam est potestas exercenda in fideles, qui sunt subditi Ecclesiae; pro infidelibus enim non habet locum nisi baptismus. Supponimus quidem hoc altero in argumento quod in his verbis Christi exhibetur plene quoad essentialia notio potestatis quae confertur. Exordium sane orationis Christi adeo sollemne aliquid novi portendit, institutionem nemque potestatis novae, quae idcirco clare erat explicanda.

c) Tandem potestas haec est potestas, cuius non tantum effectus et ex consequenti, sed specificus et immediatus actus est remissio et retentio peccati. At potestas baptizandi est quidem potestas, cuius exercitio confertur beneficium remissionis peccatorum, et quia exercitium liberum est, potest eo negato negari hoc beneficium; sed non est potestas, cuius actus sit retentio peccati: negatio enim sacramenti baptismi non est actus potestatis baptizandi, sed actus hominis, qui cum liber sit et recte uti debeat potestate sua, negat exercitium illius potestatis. Unde potestas baptizandi est solum potestas conferendi beneficii, quod et in non subditos exerceri potest.

Et quidem potestas baptizandi, quoniam eo spectat ut homines Christo et Ecclesiae adiungat faciatque Ecclesiae subditos, non potest exerceri nisi in non subditos Ecclesiae. At potestas heic (Ioan. XX) collata est potestas duplificem habens ex aequo actum, remissionem et retentioem. Ex his ergo rursus patet discrimen inter potestatem baptizandi, et hanc potestatem, quae supponit idcirco subditos Apostolorum.

Itaque ex his omnibus constat collatam esse Apostolis potestatem remittendi fidelibus peccata.

6. Haec autem est potestas remittendi *quaecumque* fideles admiserint peccata. Quod primo patet ex terminis illis indefinite usurpati a Christo: *quorum peccata*, quibus omnia peccata comprehenduntur. Deinde patet collatis locis Matthaei superius citatis. Nam ex probatis constat potestatem remittendi peccata factam esse Apostolis: haec autem est potestas quaedam solvendi: ergo in hac potestate illa quoque continetur. Igitur ex illis verbis Christi sic possumus argumentari. Quandoquidem inter potestates a Christo factas Apostolis est quoque potestas remittendi et retinendi peccata; verbis autem: *quaecumque ligaveritis, quaecumque solveritis* potestas omnis, quae ad Ecclesiae regimen et administrationem spectare potest, significatur, quas inter recensenda est potestas remittendi et retinendi peccata; consequens est re expressa iis verbis *quaecumque ligaveritis, quaecumque solveritis* potestatem quoque contineri retinendi et remittendi peccata. Et sane sicut solvuntur homines, cum eorum vincula solvuntur peccatorum, ita ligantur sive ligati retinentur positive, cum vincula peccatorum retinentur, negata per auctoritatis exercitium solutione sive remissione peccatorum. Verba ergo haec *quaecumque ligaveritis, quaecumque solveritis* aptissima sunt ad significandam remissionem et retentionem quoque peccatorum.

Notandum tamen testimonia Matthaei non esse specifice parallela testimonio Ioannis. Etenim amplior est potestas collata penes Matthaeum, quam penes Ioannem. Quod patet tum ex obiecto; in Matthaeo enim est indefinite *quocumque, quaecumque*, in Ioanne determinatum, est nempe peccata: tum ex scopo collatae potestatis; in Matthaeo enim scopus est unitas totius Ecclesiae per auctoritatem constituenda, in Ioanne est specialis utilitas peccatorum.

Quia tamen testimonia Matthaei illud quoque continent, quod effertur verbis Ioannis, hinc ea per istud et vicissim, sub illa ratione qua conveniunt, illustrari et declarari possunt. Nimurum ea simul collata hanc integrum sententiam exhibent: *quorum hominum quaecumque peccata remiseritis seu solveritis in terris, erunt remissa seu soluta et in caelis, et quorum hominum quaecumque peccata retineveritis vel ligaveritis in terris, erunt retenta seu ligata et in caelis.*

Itaque ex testimonio Ioannis habemus *distincte determinatum obiectum*, circa quod potestas ligandi et solvendi se exercere potest, atque *distincte determinatam* potestatem, qua nempe peccata remitti et retineri possint. Ex testimoniis Matthei habemus vicissim *distincte determinatam* amplitudinem obiecti, circa quod est exercenda potestas, et *distincte declaratum* quod huiusmodi potestas conscientias ipsas attingat, cum dicitur *ligari et solvi in caelis* quod ligaverint et solverint Apostoli super terram; h. e. remissionem et retentionem peccatorum ratam haberi a Deo; Deus autem peccata intrinsece remittit vel retinet. Peccatum sane, quod et in terra et in caelo est remissum, est peccatum quod amplius non est, quod a nemine imputatur, oportet proinde quod sit prorsus deletum ab anima, quae peccavit.

Porro terminus *quaecumque* universalissimus est, omnes species et individua complectitur, nullum proinde peccatum excluditur, terminus *quorum* et ipse, cum sit indefinitus, nullum excipit hominem. Cum ergo iis verbis Christus potestatem solvendi et ligandi, remittendi et retinendi peccata fidelium contulerit Apostolis, ea ita quoque efferriri possunt: *do vobis potestatem remittendi et retinendi omnium hominum regeneratorum quaecumque peccata ita ut si a vobis remittantur, et Deus illa remittat, si a vobis retineantur, et Deus illa retineat.*

Haec igitur potestas collata a Christo Apostolis remittendi peccata coram Deo, potestas proinde quae afficiat ipsam conscientiam; est potestas remittendi *quaecumque* peccata *quoruncumque* regeneratorum, qui subiecti sunt potestati ligandi et solvendi; nullum enim peccatum, nullus homo excipitur; et universalis aut indefinita locutio omnia et omnes comprehendit. Et sane si potest Petrus potestatem ligandi et solvendi universalem exercere in Ecclesia, et ideo potest ligare et solvere peccata, atque adeo *quaecumque* peccata, potest etiam ligare et solvere *cuiuscumque* peccata; secus enim neque amplius posset solvere *quaecumque* peccata.

7. Haec autem potestas facta Petro et Apostolis, collata est ipsis ut perpetuo in Ecclesia esset, quod quidem iis argumentis probatur, quibus in tractatu de Ecclesia et Romano Pontifice probatur perennitas auctoritatis et ministerii Apostolici. Et sane voluit Christus Ecclesiam suam perennem esse; voluit autem perenniter eam durare, qualem ipse instituit, secus non esset amplius Ecclesia sua; instituit autem ita ut in ea distingueret pastores et oves: voluit ergo ut semper in Ecclesia forent pastores et oves; pastores vero ii sunt qui pollent ea auctoritate quam Apostolis Christus contulit, per eam enim Apostoli pastores constituti sunt; huius autem auctoritatis mu-

nus est etiam remittere peccata; ergo Christus voluit ut potestas remittendi peccata in Ecclesia esset perpetua. Voluit Christus perpetuam esse in Ecclesia auctoritatem illius, supra quem Ecclesiam suam fundavit; nequit enim aedificium sine fundamento durare; sicut autem se habet fundamentum ad aedificium, ita se habet auctoritas ad societatem: auctoritas igitur Petri perpetua est in Ecclesia; atqui auctoritas Petri est auctoritas ligandi et solvendi universalis, ideoque auctoritas etiam remittendi et retinendi peccata: ergo.

Adverte heic esse posse quaestionem aliquam de nomine. Potestas enim remittendi et retinendi peccata, quae sacerdotibus etiam minoribus competit, vocatur potestas clavium (Conc. Trid. Sess. XIV. cp. 5) iuxta verba Christi ad Petrum Matth. XVI, 19. Iam vero si metaphora *clavium regni caelorum* intelligitur potestas suprema et independens in Ecclesia (cf. de Rom. Pontif. Th. I) ea non competit nisi Petro; ita tamen ut eiusdem participatio plus minus ampla ad alios Episcopos et Sacerdotes derivetur; qui proinde potestatem clavium vel in foro eterno vel in solo interno exercere dicuntur propter ipsis a Petro communicatam potestatem. Theologi autem (cf. etiam hymnum Festi s. Petri) frequenter solent per metaphoram *clavium regni caelorum* intelligere simpliciter potestatem aperiendi hominibus et claudendi vel retinendi clausum caelum; quae intelligentia verissima est, et ex verbis Christi necessario colligitur, si praesertim ratio habeatur sequentium. Solventes enim aut retinentes peccata aperiunt hominibus aditum aut prohibent ad caelum. Haec porro potestas, quae plenissima est in Petro, participatur ab inferioribus plus minus per communicationem auctoritatis.

III. Inepti autem sunt Protestantes, qui verbis Christi: *quaecumque ligaveritis, quaecumque solveritis* Matth. XVIII, 18. volunt significari exercitium tantum correptionis fraternalis; nam 1) haec significatio nullo modo congruit cum loco parallelo XVI, 19; neque congruit cum contextu immediate praecedente: *Dic Ecclesiae, si autem Ecclesiam non audierit* etc. quibus in verbis non correptione fraternalis, sed correptione potestativa, ab auctoritate profecta repreäsentatur, cuius contemptum poena, eaque maxima, subsequitur, electio nempe a coetu fidelium. Huic vero certae doctrinae non obstat, quod quidem Patres Christi verba interpretantes, per quamdam accommodationem seu extensionem exposuerint etiam de condonatione iniurarum, quemadmodum ipsum Sacerdotium sensu extensivo proprio tribuerunt quoque laicis. Ita Augustinus Serm. LXXXII, c. 4. quod autem Hieronymus (in Isai. L. VI. c. 14.) haec verba obiter enarrans, ait « *Solvunt Apostoli sermone Dei, et testimoniis Scripturarum et exhortatione virtutum* », non est accipiendum exclusive.